



TESTA, A.G.

A very faint, blurry watermark-like image of a classical building with four prominent columns is visible in the background.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22031984>

MARCELLUS
MÁLPIGHIUS



MARCELLUS
MALPIGHIUS

243.375-200

243.375-200

M. MALPIGHIIUS

SERMO HABITUS BONONIÆ

IN AULA M. R. ITAL. STUD. UNIVERS.

PRO SOLEMNI STUD. INSTAUR.

ANNO M.D.CCCX. VII. KAL. DECEMBRIS

A U C T. A N T. J O S. T E S T A

MED. CLIN. P. P. COLLEG. ITAL. DISCIPLINIS

ET ARTIBUS ADAUGENDIS LX VIRO.

BONONIÆ

EX TYPOGRAPHIA JOSFPHI LUCHESINII.



Marcellum Malpighium isto die dicturus
alterutrum P. C. principio maximopere verebar,
primum ne qui summos in Naturali Historia,
Anatome, et Medicina honores jam diu fue-
rat consecutus , propter inconsiderantiam di-
centis subito minor fieri inciperet, vel fieri
saltem videretur, prætereaque quod ejusmo-
di essent Malpighii merita , quorum unicus
et palam dicendus sermo nequaquam posset
meminisse . Et istud quidem in admirabili
virtutum ejus magnitudine erat positum , al-
terum in ingenii facultatumque mearum ino-
pia , quæ me ab illustrium hominum lauda-
tionibus prohibeat , non item ab eorum cul-
tu , quos uti divinissima cæli dona venerari
sum solitus , et pro eorum nativitate gratias
quantas maximas diis immortalibus referre .

Atqui supremi Italicarum Litterarum , earumque cupidissimi et studiosissimi Præsidis mandato splendidissimum hunc diem vobis omnibus auspicaturus ecquid supererat mihi , quod facerem mei etsi animi infirmitatis plane gnarus , et pluribus etiam , quam ante consueveram , aliisque studiorum curis impeditus ? cuius , orabo , erat mihi Medico et Medicinam octo jamque annos Bononiæ proficienti , plus quam Malpighii mentio facienda ? cuius ego melioris ampliorisque famæ opinione audientium animos ad bene merendum de Litteris suscitare potuisse , sive quem alterum P. C. præsentia et sapientia vestra dignorem , quem coram vobis more majorum inducerem , uno excepto Malpighio , maluissem ? hunc , ego dico , neque alium , quotquot hic adestis Bononienses et exteri præstolari a me omnes videbamini . Quam obcaussam , quiquid initio metueram , ne propter laudandi viri amplitudinem ausibus ipse meis exciderem , jamque aliquanto vobis , Auditores , videndum superest , ne quod jussus

ego officium ingredior , voluntate fere etiam vestra me ad tanti nominis commendationem adhortante, majus mihi periculum propter iudicii vestri severitatem immineat.

Primum itaque de ejus vita , vivendique genere dicam et fortuna , qua in utramque usus est partem , in ea , quæ ipse invenerit aut perfecerit, altera orationis parte lapsurus, eaque , quam incredibilis dicendarum rerum ubertas et viri gloria sinet, celeritate sermonem confectum habebitis , quantum profecto sine gratia et ambitione eum accusare sit facile , nequaquam vero , quod in prodenda virtutis ejus recordatione studio vel dicam amore melius defuerim . Favete animis , Auditores , neque enim , quantum potero , patientia vestra abutar .

Marcellus Malpighius Crevalcorii in humili Bononiensium oppido , qua prope ad ad Mutinensium et Ferrariensium fines itur natus est anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo , martio ineunte . Is cuiusmodi pueritiam atque adolescentiam duxerit, mini-

me vulgatum est: parentes certe habuit frugi, et honestos; et optimam ejus vivendi rationem et mores ad Sapientiam comptos, quidquid præterea vixit, quod cum summa animi integritate inter studia fuit totum, facile ostendit: neque etiam eos, qui in protervitatem et vitia adhuc pueri flectuntur, æquus Juppiter ita amare solet, quos postea virtutibus et nomine opimos in cælum elevat: neque ego puto nativum in declivi loco aeris udorem, perinde atque siccitatem in altioribus et montanis satis per se obtundendis sive acuendis animis prodesse, ut, qui in hunc modum absolute existimant, ii mihi non solum animorum immortalium oblivisci videantur, sed præterea, quod in phisicis monstrari potest, cujnsmodi sit hominum natura, quam nullus plagarum situs, et nulla ortus eorum ratio certis continere queat finibus, quod in plantis, cæterisque animalibus vix non omnibus fieri videmus; scilicet quod plantas et animalia ratione carentia ad soli, terrarumque varietates, rerum magna Pa-

rens fixerit, homines non ita, quorum pedibus cuncta, quæ in mundo sunt, subiecerit, nos ad majora imo longo maxima dubio procul comparatura. Jamque Malpighius decimum et septimum ætatis annum attigerat, cum is primum Bononiam veniens Franciscum Natalium quattuor annos in Philosophia audivit, quem eloquentissimum fuisse ajunt, totumque in Aristotelis et Peripateticorum principiis: ea dico principia, ex quibus postquam Sarpius, et Galileus, ingentesque alii fama viri prodierunt, tanto multari odio cæpta sunt, ut ne quidem ab eorum nominibus procul absit iniuria. Quo circa jam diu in suspicionem veni, ne tota illa antiquorum philosophantium Schola nimium omnis perierit: nimirum, quod externorum sensuum, unde philosophandi ratio postmodum quæsita est, nulla esse queat certa et determinata in pereundi veritate utilitas, quam non antea parata et diu exercitata sensuum internorum acies præiverit.

Interea Malpighius Patre et Matre et

Avia fere coniunctim orbatus pro ea , qua fe-
 rebatur erga ingenuas Artes, earumque utilio-
 res, voluntate in Medicorum palæstram se re-
 cepit , et præceptoribus usus est Bart. Massa-
 rio , et Andrea Mariano , quorum primus exci-
 tato domi suæ discipulorum conventu Harve-
 jana inventa , aliaque ejus ætatis noviter pro-
 posita sedulo agitabat , Marianus vero in Hip-
 pocrate totus versabatur , eumque in curatio-
 nibus morborum presso , quantum poterat , pe-
 de sequebatur . Eiusmodi nihil tamen minus
 erat tunc temporis Bononiensium Minerva ,
 quæ , posteaquam magnum illud Scientiarum
 et Naturalis Historiæ robur Ulisses Aldrovan-
 dus obierat tribus et viginti , antequam Mal-
 pighius nasceretur , annis , itemque post Do-
 minici Bartholetti , quem Malpighius nequa-
 quam Bononiæ videre potuit , interitum , ni-
 hil magnum uti antea et post in Philosophia ,
 et Medicina earum studiosis offerret , pro-
 xime tamen et mox iterum habitura videre-
 tur propter Bonaventuræ Cavalerii summi il-
 lius Mediolanensis Geometræ studia , itemque

propter studia Joh. Bapt. Ricciolii Ferrarensis, tum demum Joh. Dominici Cassinii Nicaensis, hem quanta et præclara Philosopherum ingenia, quæ Bononiam simul circa Malpighii ætatem convenerant: neque ea poterant, quin ingentem Bononiensibus doctrinæ et nominis amplificationem rursus pollerentur. Verum autem Sapientiæ fructus, quos a claris Scientiarum magistris expectare fas est, non ii admodum cito et mature, sed quadam plerumque tarditate proveniunt tum propter difficultatem instituendorum illustrium virorum, quæ vix dici potest, quanta maxima sit, tum propter difficultatem serendæ palam Sapientiæ, quod ultimum si desit, magnos homines in civitate quacumque nasci paullo adhuc est difficilius. Neque propterea futuræ doctrinæ fiducia Malpighio, cum juvenis esset, utilitati fuit, qui sive doctoratus lauream, sive postea cathedram, ut tum moris erat, a Collegio Doctorum, et Senatu peteret, prima in dubitatione posita fuit, alteram triennio solum, postquam petiisset,

et contra quam fieri erat solitum, obtinuit. Quod genus adversa primorum erga Sapientes, et eos qui sapientes fieri curant, voluntas vix non semper cum summa optimarum disciplinarum caritate, ubivis ista fiant, coniungitur: exemplo, quod Sapientia iis locis extranea sit; quod nequaquam accidit, ubi propter doctorum hominum copiam ad multas ea pervulgata est.

Anno, antequam cathedram publice concenderet, præceptorem suum dulcissimum Barth. Massarium amisit, neque justissima ista et diurna mæroris caussa levari visa est, cum is et reliqui ejus auditores ære collato, quanta licuit celebritate, præceptoris suo parentavissent. Quæ suprema pietatis discipulorum erga præceptores officia, neque intermissa reverentiæ debita, quoad ii supervixerint, quantum adolescentibus, qui meliores postea habiti sunt, semper summopere placuerint, vix dubio locus est: cui namque liberales disciplinæ earumque amor in honore fuerint, quem non similiter quidquid sanctissimum in vita est,

amor et pietas erga parentes et magistros non
 admodum delectent. Malpighius præterea non
 contentus cum Massario suo conjunctione do-
 ctrinæ, in ejus quoque familiam se quodam-
 modo adscivit, ejusque sororem sibi in matri-
 monium duxit, lectissimam fæminam, et quod
Litteratis cum primis viris est comodissimum,
 prudentissimam, cum eaque sine ulla queri-
 monia ad senium usque vixit. Post quæ Pro-
 fessor a Senatu Bononiensi anno post dictus
 est: sed paucis subito post mensibus Ferdi-
 nandus II Medices ad Theoricam Medicinam
 Pisis profitendam eum per honestis conditio-
 nibus invitavit: quam invitationem cum sibi
 nequaquam respuendam duxisset, Pisas ivit,
 ex eoque in familiaritatem cum Alphonso Bo-
 rrellio venit. Præterea Magalottum, Chimen-
 tellum, Barbatum, Uberium, aliosque non
 incelebres nomine viros, quibus Pisanorum
 studium fulciebatur, dignitate et doctrina pro-
 ximus adivit, sic eorum unoquoque officium
 suum gerente, ut quod in **Litteratorum** ho-
 minum consortio est dulcissimum, præcipue

quando cum doctrina mores incedunt, alter alteri opem, sive potius calcar incitatoribus perpetuo animis inferret. Quid vicissim cum Bonellio Pisis degens profecerit, deinceps dicam: quem suarum observationum adiutorem et socium habuisse nemo dubitat, non adeo præceptorem, quod Hallerus sæpe nimium in Italicis præsertim rebus judicio festinans dixit. Absoluto Pisii triennio, sive quod aliquid sibi propter aerem loci metueret, quod ille causatus est, sive propter rationes alias, quibus Litteratissimi etiam homines, interdumque inanitate non procul omni, aliquando abundant, Bononiam rursus remeavit, tametsi Ferdinandi II nomine magnum sui desiderium inter Pisanos testatum sit. Bononiæ redux totum se in Phisicis et Anatomicis abdidit, non meliore propterea quam antea inter suos sorte usus: quidquid enim contra vulgi opinionem inchoaret, haud quaquam erat satis privatis et publicis aliorum Medicorum sermonibus irriteri, sed et ad probra et convicia usque ibatur; tantum maiorum Sapienti, qui solus in civitate sit;

impedit; neque enim si Eracassatum suum unumque aut alterum quenipiam demere ~~ve-~~
 limus, alii tunc erant Bononiæ, qui non in
 adversas inimicorum Malpighii partes propen-
 derent. Quam ob caussam, cum tribus, post-
 quam Bononiam rursus venerat, annis Sena-
 tus Messanensis post Petri Castelli Medici
 doctissimi obitu primariar Medieinæ cathe-
 dram et superadditum pingue minerval ei
 obtulisset, Bononia iterum excessit, et Nea-
 polim contendit, Thoniæ Cornelii, et Leo-
 nardi Capuani initis in ea urbe amicitiis fe-
 re sapientior factus: et demum Messanam na-
 vigavit. Erat tum Messanæ Jacobus Ruffus
 Vice-Comes Francavillæ, superioribus annis
 Malpighio Pisis notus, ab eoque, ut erat ani-
 mo in Litteras et Litteratos cujusque ordinis
 paratissimo, quo nihil amplissimo stirpis ge-
 nere dignius dici potest, hospitio exceptus est;
 eumque se Malpighio Ruffus perpetuo gessit,
 qui in rebus omnino cunctis ei impensius fa-
 veret. Præterea, qui Messanensium studia, quæ
 Maurolicus sæculc, quod anteyerterat, insol-

ta prorsus luce perfuderat, erant eo tempore etiam non pauci, qui curarent, in Naturali cum primis Philosophia, quantum saltem Malpighius narravit: nihilo tamen minus eorum nemo Malpighio æquari poterat, quorum propterea nomina in gratiam fere solam Malpighiani sermonis posteritati superfuerunt. Quapropter, tametsi docendo medendoque ejus doctrina in vulgus magis quotidie in claresceret, nemini mirum crit, si cui propter unitatem et excellentiam ingenii et propter multitudinis contradictiones et inimicitias domo sua abeundum fuerat, in alienam civitatem receptus, pariterque ibi solus, inque unica Domini Catalani, cum quo Messanæ coniunctissimus vixit, consuetudine, post quadriennium in Patriam iterato fuerit remeandum, necquam contra obstante optima erga illum voluntate Messanensis Senatus, a quo per quadriennium Professor secundo fuerat salutatus. Cum Romam venisset, Nicolaum Stenonem hospitem habuit, hominem, si quis alter, eo tempore ad Malpighii commercium, et neces-

situdinem natum, cuius propterea recordationem amoris plenissimam Malpighius de se ipso scribens fecerit.

Agebat tunc Malpighius ætatis annum octavum supra trigesimum, doctrina, inventis, et medendi peritia, Pisana et Messanensi cathedra, illustrium virorum judicio ubique cumque clarus, clarior immo clarissimus, ubique non esset, propter silentium invidiae : cumque Messanensium Senatus missis ad cum epistolis amoris et observantiæ plenissimis uagno ejus redditum opere oraret atque obsecraret, visum in finem est iis, per quos Bononiensium studia gerebantur, prolato honoris et mineralis incremento, scutatorum numerorum bis centum et quadraginta priorem, quam de eo habuissent, oblivionem eluere : scilicet et aliquando ignava pectora despectæ dudum virtutis magnitudo frangit. Quia propter actis, quantas maxime posset, Messanensis ab Malpighio gratiis, suisque rite constitutis domi rebus, quod reliquum temporis Bononiae fuit, naturalibus disciplinis plus per-

ficiendis , et in multis etiam inchoandæ Naturali Historiæ , suorum et exterorum incolumentati , propter frequentissima domi forisque ad tuendam valetudinem consilia , totus denique sapientiæ prudentiæ et patientiæ vixit suo tempori et posteritati , Italiæ omni et præterea totius mundi comodis et virtutum emolumento . Pomeridianis horis in plurimo Auditorum conventu publice de Medicina disserebat , et rursus confestim se domum recipiens plantas , animalia , hominum corpora contemplabatur , eaque sola , quæ plus semel et attente vidisset , aut manibus tetigisset suis , depromptas in finem a Naturæ penu veri imagines suo et aliorum quæstui ducebatur , nequaquam ad novitates intentus sed in veritate totus , quæ semper esset duratura . Sæpius rusticabatur , et erat Corticellæ locus cumpromis ei acceptus , neque aliud cum dignitate majore otium inveniri poterat , unde doctrinarum merces ad singulos omnino homines manaret quam amplissima . Quo factum est , ut in tanta meritorum ejus luce quotquot in

Europa per ea tempora , Philosophi , Anatomi-
 ci , Botanici , Medici splendore nominis in-
 clarescerent , vix unus eorum aut alter esset ,
 qui non Malpighium propter comunia studia
 omni cultu prosequerentur , vel quibus cum
 Malpighius non in gratiam veniret , sive mu-
 tua epistolarum intercessione , sive propter
 discipulorum et amicorum itinerantium officia ,
 cum ad Bononiam appellerent ; exim Willisii ,
 Grævii , Sponii , Meibonii , Bartholini , Silvii ,
 Stebonis , Redii , Borellii , et celebriorem quo-
 rumque in Europæ Scholis docentium initæ
 ab eodem amicitiae , quas postea habitæ cum
 eorum aliquibus disceptationes , quod non-
 numquam inter doctissimos et mitissimos us-
 que homines accidit , necquidquam dissuerunt .
 Inter quæ Londinensis Societas , haud mul-
 to antea constituta , Malpighium sibi conjun-
 gi voluit , quæ maxima fuit ejus famæ acces-
 sio . Jam enim Oldelburgius , qui ejus Aca-
 demiæ ab actis erat , ab eo tempore , quo
 Malpighius Messanæ commorabatur , eum So-
 cietatis nomine rogaverat , ut quamcumque

amplificandæ Naturali Historiæ simbolam is contulisset, continuo Londonum mitteret, tum potissimum quidquid bombyces, et eorum opera suis sive alienis periculis exploravisset. Quare Malpighius gloriari de se poterat, se Florentinæ Academiæ, quam ab experiundo nominaverunt, incunabula fere fuisse, eisque, cum apud Pisanos degeret, subsidio fuisse: rursusque Londinensis Academiæ, si non conditoribus, primis saltem et maximis ejus nominis auctoribus interfuisse, cum eoque prima et splendentissima, quotquot postea fuerunt, sapientium Virorum disciplinis et artibus adaugendis Collegia originem habuisse, unde cæteræ totius mundi partes sua ad Naturam et veritatem studia deinceps composuerunt.

Jam vero Phisicum, Anatomicum, et Medicum, quotus ille quisque fuerit, intueamur. Verum enim, a quo primum Messanæ forte apud Ruffum ruri diversatus tracheas in frustulo ligui castaneæ vidit, is a Natura ipsa manu duci visus est, qui stupendas, nullius-

que oculis ante subiectas rerum novitates in plantarum Anatome primus aperiret, unde, quod est apud omnes in confessu, suorum operum maximum octo circiter annorum intervallo prodiit nulla delendum ætate, et seræ, quod credimus, posteritatis delicium. Orsus ille a cuticula corticis utriculos trunci patefecit, sive horizontales sacculos et annulos ordine dispositos, strataque fibrarum in retis mōdum, quæ per trunci longitudinem porrectæ angustiore perpetuo reticulo fere in librum desinunt: præterea ligneam portionem suis contextam particulis, et maximam partem fibris sive fistulis per longum ductis, quæ orbiculis invicem hiantibus compositæ, laqueatis inque angulares areas desinentibus orbicularum fasciculis medullam versus productis constant, sic ut propter alternos super equitantium et transversorum fasciculorum ordines fere atque stoream texere videantur. Quæ cuncta, quantum in forma, situ, et complexu parium aliter atque aliter compareant juxta diversitates herbarum fru-

ticum et arborum prosecutus est diligentia
 prorsus incredibili: insuper et compositionem
 trachearum ex laminis, istarumque a zona te-
 nui et pellucida, quæ, procul ab animalium
 tracheis, in longum resoluta et extensa a
 principio ad finem integra omnis queat edu-
 ci: qua occasione divulsa caulis adhuc virc-
 scens continuitate peristalticum motum quem-
 dam animali ad finem in tracheis vidit: sive
 etiam tracheæ aeri unice et plantarum hali-
 tui inserviant, undeque aerem, an non ab ima-
 tellure ebibant, et an non cum aere simul
 plantarum succi ferantur, pluribus inquirit.
 Præterea venit ad singulares quosdam fibra-
 rum fasciculos et canaliculos, unde lac, gum-
 mi, et resina funduntur, tum ad interpositam
 cortici et ligno substantiam, alburnum dictam,
 itemque ad medullam, quam globulorum, si-
 ve utriculorum membraneorum series efficit,
 et rursus, quantum medulla usu et natura a
 cortice distet, disserit; cum certe in sureu-
 lorum segmentis plerisque ea locum impletat
 cordis, vel cerebri, et matricis. Sed et ra-

dices, et truncos, ramos, folia, gemmas, surculos, folia seminalia, cotiledones et placentulas, pericarpium et plantulam et semina, et germinationis et nutritionis vias ostendit, quibus modis, et qua circuitonis legē succedant, quantaque sit aeris necessitas, præterquam ad conservandam plantarum vitam, in reliquis earum officiis et usibus. Neque satis ista fuerunt ea, quæ juxta naturam accidunt, in plantarum ortu, earumque incrementis, et propagatione demonstravisse, in quibus summam cum animalibus plantarum similitudinem agnovit, nisi insuper in earum infirmitates inquisivisset, et gallæ, et tumores, et quæ super in plantis crescunt, cujusmodi essent, dixisset: nec sibi quiescendum putavit, quo usque ad ea plantarum genera descendisset, quæ flexuoso et multipli ci lapsu crebris cum proximis plantis amplexibus vinciuntur, et capreolis, quos Botani ci dixerunt, atque iteratis vinculis impediuntur: tum in finem ad eas pervenit, quæ in aliis plantis vivunt et expatiantur, quibus singulis, uti

et fungis mucori et musco ortus suos a seminibus dixisse visus est. Quare nequaquam mirari desino splendidissimum illud Botanicorum lumen Linnæum, cum in libro, quem edidit de Philosophia Botanica, a primoribus ad novissimos ætatis suæ herbariæ rei curatores descendisset, Malpighium penitus siluisse, qui Botanicæ Vesalius alter cum ratione dici potuisset, imo nec Philosophis, nec Phisiologis Botanicis eum accensuisse, eumque dumtaxat, postremo quasi loco, inter Botanophilos Anatomicos nominauisse. An quod aliter et melius Malpighiana aliqua postea nonnullis visa fuerint, et vero proprius repræsentata, nitidore cum primis iconum elegantia, quam fecerat Malpighius, qui suas ipsem̄ tabulas expresserat, et lineaverat? Sed istud quidem omnibus hominum inventis comune est, ut nemo unus omnia simul invenerit, et ad unquem perficerit: vix profecto dubitabimus id genus observationes, quod antea diximus, Malpighium cœpisse, ex quo Messanæ degebatur, quibus

annis Robertus Hookius microscopiorum emenda-
tionem Londini susceperebat, ejus *Microgra-
phia* serius aliquanto post prodeunte, anno
scilicet sexcentesimo et septimo supra sexa-
gesimum, cum jamque Malpighius Bononiam
iterum rediisset .. Neque a Grævio Malpighius
quidquam mutuari poterat, cum Grævii plan-
tarum Anatomia undécimo circiter post an-
no lucem viderit, ex quo Malpighius ad
Londinensem Societatem suum miserat librum:
præterea, quod Grævium in multis Malpighius
superaverit, potissimum in his, quæ ad semi-
num incrementa pertinent; inque ejus libro-
rum ordine, novissimo Curtii Sprængel judi-
cio proditum est, qui herbariæ rei Historiam
conscripturus primas Malpighio laudes detu-
lit, quod veram corollæ differentiam a reli-
quis partibus, et seminum ortum, eorumque
vicissitudines et germinationem ostenderit, cum
primis in monocotyledonibus, usumque cotyle-
donum et annulatas filicum capsules docuerit:
nihilo tamen minus Sprængelio quoque, Ma-
lpighii studia paullo serius post ea Grævii

prodiisse visa sunt. Oh superbissimam exte-
rorum hominum adversus justissimas Italorum
laudes duritiem, et quousque tandem desi-
nent nolle nostra esse, quæ ingeniis nostris
ante reliquas Gentes post Græcorum memo-
riam Natura tribuit, vel eorum saltem quasi
cum occultatione quadam, sive, ut melius di-
cam, fastidiose recordabuntur? Ea certe Mal-
pighiani operis, quo primum lucem vidit au-
toritas fuit, ut certatim ubique in Malpighii
sententias iretur, quod fecit inter primos ca-
rissimæ vir memoriæ Fr. Redius mutata ea,
cui antea nupserat, de Gallis opinione. Ne-
que Borellii invidentia, quæ iterum in plan-
tarum Anatome, prout in ea animalium Mal-
pighio adversata est, huic damno fuit, quin
potius fuit incitamento, cur res antea a se
propositas clariore in luce poneret.

Succedit de Bombyce liber, sola dieta-
nu Natura conscriptus, et in gratiam Londi-
nensis Societatis exaratus. Et in isto simili-
ter ab oyo ad bombycem ad aureliam et pa-
pilionem ita singula prosequitur, ut ne quid

amplius sinat desiderari . Scilicet et ovi colorem, ejusque mutationes, et incubationem enarrat, et præterea suam, in quam promittur, anni particulam , et bombycis figuram et magnitudinem et corium et annulos et stygmata et folliculum et serica intestinula, et quæ bombycum cura sit habenda , et speciales eorumdem cachexias, et morbos, et quid ab austro et frigore laedantur, nequam vero contra vulgi opinionem ab odoribus, et continuas jactationes et cibum et cibi defectum et abstinentiam et vigilias et soporem et somnum: præterea duplex bombycis et aureliæ senium, et papilionum eam, in quam vivunt, ætatem , et geminam eorum speciem , quarum altera bis quolubet anno ova emittat: genitalia item utriusque sexus organa testes penem, et uterum et ovaria , ovarumque incredibilem fere numerum, ad minimum quadringenta, sæpe ultra quingenta , quæ sola masculi seminis adspersione fæcundantur. Præterea bombycis in aureliam evasuri metamorphosim , qua ratione contingat,

quarumque partium amissione, et accessione,
sive melius manifestatione nova, subtiliter et
minute exponit, item et papilionis cranium
pilis hirtum et dentes et mentum, et cranii
cavitatem, quam opticus nervus magnam par-
tem impletat, et spinalem medullam a capite
ad corporis extrema, chordae instar, interpo-
sitis ovalibus, uti apparet, nodulis similitu-
dine parvorum cerebrorum, unde nervi oriun-
tur, contextam: tum et ventriculum ingentis
molis, in cæca et oblonga intestinula desi-
nentem et humorem, quo intus manat; rur-
sus et vesicam, unde papillones bombum e-
dunt: similiter et magnam bombycibus insi-
tanti muci cuiuspiam, sive potius pinguedi-
nis, quæ proxima igni flammam concipiat, co-
piam, in qua viscera eorum cuncta resideant,
et quæ cæteras quasque bombycis partes quan-
titate sua ante eat. Noviora et pulchriora ea
fuerunt, quæ de bombycum cordis figura gra-
cilem et longum cylindrum æquante, ad in-
star plurium cordiculorum invicem hiantium
proposuit: jam etenim per longum dorsi in-

ter muscularum fibras , et in ea , quam diximus, pinguedine, perque totam corporis longitudinem , unio veluti quædam minimorum cordium suam sistolem et diastolem habentium ei visâ fuit, unde an non arteriæ prodirent, is in dubio fuit, quamquam in aurelia conspicuos ramos adspexisset inter annularum spatia, quem in modum is scripsit, arteriarum in totum similes: et hos quidem annulos Reaumurius , aliquæ negaverunt, deceptumque ab incubente adipi Malpighium arbitrati sunt, quod jamque ab initio Swammerdamius Malpighio opposuerat, cum is staret pro uno, et æquabiliter in longum protenso insectorum corde. Insuper, cum in locustis vidisset iudicias aeris bullas in interiore cordis cavo vitali fluido illud circumcuncti admixtas propter complures a proximo tracheæ trunco ramos in cor abeuntes, consimiles trachearum ramos circa bombycum cor, sive, ut ille scripsit, corcula notavit: vix adeo numerari possunt trachearum propagines, quæ singulas insectorum partes ade-

unt propter vitæ et motus conservationem: nempe quod iis mediastibus per eorum corpora principium illud vitæ circuat, quod in nobis, uti Malpighius mox subiungit „*medio pulmone pertranseunti sanguini miscetur*. Quid præterea cordis motum, quantum emineat in papilione plusquam in bombyce, quam sit rarus in aurelia, in quas deinde admirabiles prorsus circa motum cordis *ataxias* Malpighius inciderit, nempe ut ab inferioribus ad superiora contentus in corde humor incederet, sicut in bombyce in aureliae formam properante ei visum fuit: cum bombyx searetur, circuitus ex adverso fiebat, sensimque iterum postea motus a caudâ ad caput redibat: demum scalpto unquibus corde inferiora versus, circuitus chorea in contrariam partem reviviscebatur: alias diastoles superius rara, inferius erat celeris et frequens, pulsusque in capite perdurabat, cum reliquæ partes in quiete degerent. Quid non dubitabimus insitam cordis vim, irritabilitatem Malpighio plane fuisse perspectam, cum

toties corculorum motus suos, et fere vitæ munera redintegrantium in insectis jam diu mortuis ab affusa aqua aut saliva ille meminerit. Ea in finem portentorum omnis generis, quæ in insectis vidit, summa fuit, ut in Plinianum illud sibi abeundum persuaserit, nihil adeo esse incredibile, quod non aliquando de Natura sit existimandum.

His fere majora superessent dicenda, si quando ea, quæ reliqua vidit in magno aliorum insectorum numero, in cicadis, noctilucis, ærucis, scarabæis, locustis, inque hominum et animantium vermibus, si quando ajebam, singula ad verbum exprimere, temporis meique instituti ratio sineret. Secuit mammalia, volatilia, amphibia, pisces, tum potissimum thinnos, et gladium, quem appellant, piscem, et canem, et torpedinem, in eisque nova multa circa reticularem omenti structuram, adiposos ductus, circa branchiarum texturam et usus, cerebri item, optico-rumque nervorum et oculi solertissimus quæsivit et invenit. Quorum eo plus raptim me-

mofia mihi est facienda, propter postulatio-
 nem et expectationem vestram, ut merito-
 rum ejus in humana anatome, et perfecto-
 rum, quæ dicimus, animalium recordationem
 aggrediar. In qua celerior profecto sermo
 curreret, si eorum, quæ sibi impervia reli-
 quit, sive, quæ reliquis, qui ante eum fue-
 runt, is non vidit melius, adque veritatem
 non emendavit, sive etiam non effecit labo-
 ribus suis, ut alii post ipsum plenius et me-
 lius viderent, mentio unih[ic] facienda fuisset:
 ista, ajo, celerius dicere expedivisset, quam
 memoriam eorum omnium quæ is perfecit,
 singularem prodere. Hoc unum est a primo
 animalium conceptu ad cuncta omnino visce-
 ra, et fibrarum, quibus ea intertexta sunt,
 structuram et usus, omnia Malpighium vesti-
 gavisse, quantum nemo alter post Galenum
 et Vesalium ante eum præstiterat. Et nescio
 ego, cur Malpighio opus de universa Ana-
 tome, cum Messanæ degeret, italico sermo-
 ne meditanti, cum illud a corde orsus ma-
 guam absolvisset partem, et certe primam si-

nivisset, eamque ad Borellium et Fracassatum judicii caussa misisset, cur inquam, amicorum voluntas, Ruffo cum primis Borelli nomine cum dehortante, officeret, quo minus desideratum opus typis mandaret. Verum namque Historia eorum, quæ Malpighius vel primus omnium vidit, vel saltem secus ab his, qui ante eum fuerunt, ejusmodi est, quæ parumper absit, quin corporis universi anatomen complectatur. Undecumque principium sumas sive ab ossibus, et communibus integumentis, quod facere Anatomici solent, sive a corde, quod Malpighius egerat, sive etiam a primis nascentis fætus in ovo lineamentis carina et cerebro, a Malpighii memoria, et Malpighio viam monstrante ordendum est: eumque in singulorum quorumque viscerum capitum, thoracis et abdominis doctrina, tametsi in multis postera ætas longe meliora docuerit, nihilo secius ita sequi necesse est, ut nullibi eum propter studia sua illaudatum dimittere queas. Neque ego dubito eos, quibus Malpighii libri lecti fuerint

potenter, multa adhuc in administrationibus anatomicis inventuros fore, nostro etiam temporis valde accomodata, quorum suspicio nequaquam levis Malpighii animo forsitan insederat, ea vero absolvere nequivit propter solitam mortalium exuviarum, quibus omnes induimur, et humanorum casuum infirmitatem: verum etenim in isto magnorum virorum scripta prosunt incredibiliter, ut futurarum novitatum, quæ cum veritate comparituræ sint, lineamenta hercule minuta, hisque solis, qui rite ad Sapientiam sint comparati, sensibilia amplectantur. Ossium fabricam et substantiam, eorumque compositionis et incrementi rationem per nova pericula tentavit: reticulum suum et cutis papillas, et tactus et gustus organum primus omnium, vel cum primis monstravit: spirales cordis fibras primus inventor is Borellio ostendit, licet Borellio contra scribenti Hallerus, aliique auscultaverint: motus sanguinis in ranis et nova prorsus circulationis phænomena, cum iterato contemplaretur, dilucidiora effecit. Præterea

cerebrum, quomodo tractari oporteat coctum et durescens ad anatomicos usus dixit, multaque de corticis et medullæ fabrica subiunxit, quorum nec quidem mentio ab antiquioribus facta fuerat: vesicularē pulmonum substantiam primus adstruit, et ostendit; hepatis, lichenis, et renū et omentorum historiam observatione et animadversionibus suis locupletavit; utriusque sexus organa, tum potissimum muliebria, uterum et ovaria, et gravidi uteri mutationes industrie investigavit, partesque eas omnes anatomicis usibus subtiliter et enucleate accommodavit. Quod vero in adsignanda glandulosa et aciniformi plerorumque viscerum substantia, is adversus veritatem peccaverit, non propterea eum excusavero, sed plus laudabo, quod errores sui Ruischiana inventa quodammodo parturiisse mihi videantur: videlicet quod magnorum virorum errores utilitate etiam sua nequaquam careant, propter invitationem ad meliora, quam ab illustribus viris factam nemo Sapientium est, qui recuset. Coronidem addunt immortalibus

Malpighii erga Anatomiam meritis ea , quæ scripsit de Formatione pulli in ovo et ovo incubato : quem librum, ejusque appendicem, a primis ad extrema usque verba , pulcher-rimarum novarumque rerum cumulum singu-los quosque ætatis suæ Medicos insolitis om-nino laudibus in cælum evexisse nequaquam admodum admiror, neque etiam, quod in no-stram et posteram ad infinitum ætatem ejus generis inventiones percrebuerint, easque po-stea duraturas fore tenendum sit: istud ego summopere suspicio Alb. Hallerum , quidquid in Phisicis et Anatomicis edidit, certe ma-gnum, in his , quæ ad pulli formationem in ovo pertinent , omnino maximum vix ali-qua , et parum ab his , quæ Malpighius vi-derat et dixerat , mutavisse , et cum primis in formatione dextri ventriculi cordis .

Et ista profecto ratione Morborum cu-ratio , et rerum Naturæ contemplatio sub iis-dem auctoribus, Celso judice, nata est, ut pro-pterea indigne ii ferendi sint , qui Malpighium minime vel parum omnino fuisse Medicum ,

neque in Medicina valuisse, olim et nuperis etiam annis Halleri nomine perhibuerunt. Quod fortassis de altero quopiam credi posset tantum impensissime ad Phisica et Anatomica studia diverso, de Malpighio non item, quod is a juventute sua Medicinam Practicam valdopere coluerit, eamque Messanæ docuerit, et Bononiam rediens, ei tantum sese dederit, quantum exercitatissimus alter quispiam: sileo frequentia cadaverum extispicia, quibus interfuit, morbi et mortis caussam per anatomen sollicite quæsiturus, quorumque sparsim meminit eo libro, quem de se ipso et suis rebus morti proximus condidit: mitto epistolas de purgatione in acutis morbis, et pisanarum febrium epidemia ei cum Borellio vicissim interjectas; mitto polyporum cordis historiam, opus propter rerum factorumque medicorum novitatem et utilitatem clinicis usibus peridoneum, his inquam singulis silentio præteritis quis non credat Valsalvæ et Morgagno Malpighii morborum judicia eo, quo prædixerat, exitu probata sumimæ laudis

instar interponentibus . Et quam rem Dii boni Malpighio ad Medicinam defuisse putabimus , cui neque natura , neque inusitata mentis acies et claritas et ordo deerant , neque ea , quæ præstantissima feruntur , et reapse sunt Medicinæ munimina ; consummatissima in Physicis et Anatomicis peritia : quem denique laboris patientissimum , et in parva re beatum , summaque humanitate et prudentia virum fuisse nemo dubitat : et oh singula ista quibusque Medicinam facientibus consociarentur , hisque solis epulis saturatæ Medicorum mentes ad ægrotantium cubilia et ultimas eorum necessitates prodirent . An quod veterum sermone usurpato Malpighius comunia de morborum caussis dixerit , fereque etiam Medicinæ subiectum humanum corpus , plusquam medicamenta , eorumque potestatem is quæsivisse videri possit ? Clinicæ ego Medicinæ tantisper studiosus , quid ad ista decore , et cum veritate respondeam , nequaquam video : malem , ego dixero , Malpighio et Redio Medicis uti , quam in eorum Medicorum manus

incidere , qui perinde ægrotantes tractant, atque incognitam rem quampiam , de qua, quomodocumque libuerit , experimenta capere cuivis fas sit .

Utinam , quæ cuncta ille scripserat , ad nos pervenissent , quod vetuit inter cætera ejus incendium domus , quæ inopino casu , antequam Romam iret , fere omnis flagravit ; quo factum est , ut non solum , quidquid sibi et familiæ usui habebat , amitteret , sed et libros et manuscripta , et usque microscopiorum suorum lentes , quarum unicam , quæ reliqua ab incendio fuit , cum secum domo exiens fortuito circumferret , et nescio quantum nummorum , quod clanculum surrepta simul omnia denuo perdiderit , molestissime tulit : quorum signorum quasi nuntiatione jamque sibi a terrestribus quiescendum esse , se admonitum fuisse dixit : sic ille Redio suo . Utinam et firmiore fuisset valetudine : jam etenim fere etiam a juventute stomacho laborabat , et maturior annis palpitatione cordis , articulari morbo , mictu cruento , et re-

nuni et vesicæ calculo. Quin in graves aliquando et diuturnas incidit febres; præterea oculorum inflammations et dolores passus est, cum lentibus acutissimis minima quæque noctes diesque proséqueretur. Is porro corporis habitus Malpighio contigerat, qui cum parva statura et curvatis nequaquam leviter humeris ingentem animum cum gracili corpore coniunctum ostenderet: ejus forma vultus decora fuit; et ad gravitatem composita. Utinam et non adversæ totidem petulantium hominum artes ejus animum studiis pene confectum, invidia et malitiositate, quanta fieri poterat, non adhuc crudelius exedissent: quo circa justas ægritudinis caussas Malpighius ad finem usque, cum Bononiæ vixit, semper habuit, sive quod Crevalcorii, non multis a Bononia, lapidibus lucem primum adspexisse ei piaculo fuerit, sive quod ille Philosophiam plusquam formulas et verba profiteretur. Et eo iniquius ferenda erat eo tempore adversariorum Malpighii contumelia, quod in Phisiis et Anatomicis jamque clare Bononiæ

diescere cœpisset, ætatem dico Ant. Fælicis, et Al. Ferdinandi Marsili, quorum ille cochlearum ova, secundus quanta in omni rerum Natura viderit, quanta sciverit, et quanta ad Scientiarum omnino omnium incremen- ta contulerit, suspicite isto loco, et admiramini omnes; sed Marsilius quidem cum Malpighio in perpetua amicitiæ conjunctione fuit. Erant præterea Albertinus et Valsalva, quos auditores et discipulos Malpighius habuit, et ex Valsalva magnus ille prope nascebatur Anatomicorum sui temporis Princeps et Pater Joan. Bapt. Morgagnus, qui se Malpighii nepotem esse gloriabatur propter paternum Valsalvæ sui amorem. Utinam et postremo NAPOLEONEM AUGUSTUM toti jura dan- tem Europæ, Gentiumque et Populorum, quoscumque bello fregerit, Conditorem iterum et Patrem vidisset, quod Cæsarum nemo ante eum fecerat; et Magnum Patris incremen- tum EUGENIUM NAPOLEONEM paternum Italiæ Regnum summa fortitudine et fide gubernan- tem; et oh utinam ad istorum ætatem Malpi-

ghius dilatus esse potuisset. Jam etenim non invisa solum majoribus, sed etiam inaudita præmia omnis generis virtutibus constituta, præfectosque undique gerendis Imperii rebus gñaros homines et scitissimos, miratus fuisse, ut insolitam et tantam Regnorum suorum vastitatem IMPERATOR ET REX NOSTER MAXIMUS Sapientium hominum auctoritate et gratia, plusquam imperterrita atque immensa militum suorum acie contuere velle videatur. Tanta ne humanis animis, cum adhuc vivimus, erga Sapientiam remuneratio?

Ventum erat Malpighio ad annum ætatis tertium supra sexagesimum, cum ab INNOCENTIO XII Romano Pontifice, apud quem plurimum antea valuerat, cum is Bononiensem Provinciam administraret, in Archiatri Pontificis locum Romam invitatus est. Ille vero, postquam triennio circiter Romæ vixisset, perque omnium ora fereretur, totius Aulæ et Principum et Populi gratia communitus, iterato mensibus vix tribus interiectis, apoplexi correptus in omnium mærorc deces-

sit . Fuit ejus vitæ finis , qualem Sapientis præstolari decet : cum etenim a primo apoplexiæ insultu iterum vitæ et virium aliquantum ei rediisset , domesticam rem omnem suam scripto testamento ordinavit : tum vero nomini suo non prospecturus solum , sed præterea sui temporis laudibus , et naturalium studiorum incrementis , scripta quæcumque sua recensuit , eaque , ut prælo post ejus obitum mandarentur , amicos per litteras rogavit : reliquum omne vitæ suæ Philosophiæ permisit , eiusque consolationibus , quibus nihil dulcius esse potest , iis potissimum , quæ cum Nuininis providentissimi cultu sociantur , in vitam et mortem forti animo atque integro , sicuti antea perpetuo vixerat , similiter paratus . Erant tunc Romæ Baglivius et Lancisius , dignus certe uterque , propter studiorum suorum cum Malpighio coniunctionem , qui tanto homini et Medico morituro interessent , inque eos supremus ejus spiritus defesso jamque et squallente corpore exiturus migraret . Baglivii opera , cum ejus cadaver

secaretur, cor mole sua auctum inventum est, cum eaque ingens cerebri emorragia.

Jam vero si quis adhuc mortuis, quod ego vehementer confido, nostrarum rerum sensus inest, puto ego te Marcellle Malpighi pro vetere illa tua erga omnes mansuetudine, morumque tuorum innocentia, isthic benigne dicenti mihi intersuisse, et quas tui laudes, quantum ego exterus inter tuos, tantum erga te obsequio proximus, uti Patria finitimus, oratione incompta retexui, haud quaquam adverso tulisse animo: ecquid enim esse potest carius posterorum cura, quid plus consolatorium inter tantas illustrium virorum ærumnas, quam ad nominis immortalitatem, quæ sola digna est virtutis remuneratio, adversus sui temporis contemptum, iniusticias, et vilitatem usque dixero provocare. Salve Magne et venerande Senex, atque iterum salve, utque nostris hujus anni studiis et laboribus annuas et faveas, augurantes a te oramus, et obtestamur pariter omnes. Annon etenim quod moriens cineres tuos Bononian

adspōrtari volueris, istud iccirco a te factum
putabim̄s, ut in pr̄esentiam nostram ipse qua-
si particeps doctrinæ et celebritatis nostræ
mortuus etiam venires? Vale iterum et æter-
num vale: nos te, quo Natura jubebit, or-
dine omnes sequemur.









